

1720.

1. Wesenfeld, Arnoldus: De tribus statibus principis.

1721.

1. Thymarus, Iohannes Christophorus: De legati primi et  
secundi ordinis.

2. Thymarus, Iohannes Christophorus: De iure albinagii

3. Goelcke, Andreas Ottomarus: De syntetria corrupta  
cum salute aegri in integrum restituenda.

4. Kulsborn, Daniel: Imperatoris R. Poloniani testo  
instalationum juris contenta, in tabulis delineata.

1722.

Plesmannus, Henricus Tius: De consolidatione fund  
et aedifici in Pomerania, praesertim ulteriori.

1723.

1. Vanckus, Ioh. Stephanus: De reueatio processus Merkini  
cum communis et Saxonicis collatis.

2. Goelcke, Andreas Ottomarus: De emulsione mentium.

3. Hoffmannus, Christianus Gottfridus : De iuris canonici  
praejudicis in causis publicis S. R. imperii

4. Hoffmann, Christian Gottfried : eröffnet in einer Kurzges-  
schichtl. seinen Kurzgeschenk. Hoc habemus; nū er  
in Lectionibus publicis i privalio . . . über alle partes  
juri's prudentiae . . . yr' verfahren gesomen sey.

5. Hoffmannus, Christian Gottfridus : Ordine de triplici  
juri's prudentiae, superficiaria, obsoea et solido . . .  
dicta in Studiorum Petitione, cum ordinarii Fac. juri's  
numeris . . . auspræceptis . . .

6. Hoffmannus, Christian Gottfridus : De fundationis  
variantium in doctrina de matrimonio opinione  
dissentientibus et prelectiones in priores titulos libri IV  
decretalium: de sponsalibus et matrimonii mortali.

7. Spoz, Cyprius Ruyghius, &c: De nature vasallagii et ob-  
jectionis in territoriis S. R. imperii 2 Script. 172  
1739.

1724.

- 1<sup>a</sup> Dithmarus, Thales Christophae : De abdicatione  
regnum aliarumque dignitatum illustrissimorum  
secularium quae ecclesiasticarum. 2. tomus
2. Hoffmannus, Christianus Tompae : De origine et jure  
septentrum . . .
3. Kolshornius, Paul : De genuina et legali probatione  
erroris
4. Trier, Iacobus Wolfgangus : Programma de difficultate  
inveniendae proportionis atque ordinis inter iura con-  
currentia
5. Trier, Iacobus Wolfgangus .. de oeconomicis iuris
6. Leijon, Polycarpus : Observata diplomatica-historica  
de 1722, quae Justinianus Imp. ex proclamatio iustitiae  
cum imperio opposite. (cf. Helmstedt 1724.)



*22* I. N. D. 1720 -5  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
*DE*

# TRIBUS STATIBUS PRINCIPIS.

PRINCIPI, QUA PRINCIPI,  
ESSENTIALIBUS,

QUAM

*Favente divini Numinis Gratiâ,*  
IN UNIVERSITATE VIADRINA,

PRÆSIDE

ARNOLDO *Besenfeldi*

RAT. ET MORALIS PHILOS. PROF. PUBL. ORD.  
ET CIV. FRANCOF. CONSULE SENIORE


FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO *ÆTATEM COLENDO*  
d. XVI. Maji, Anno. M. DCC. XX.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM MAJORI  
Publicæ Eruditorum Disqvisitioni submittet,

JOHANNES FRIDERICUS  
PROZENIUS,

Francof. March.

*FRANCOFURTI. AD. VIADRUM.*  
Litteris TOBIAE SCHWARTZIL.



PERILLUSTRI,  
GENEROSSISSIMO atq; EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO,

DOMINO,

# MARQVARDO LUDOVICO

de PRINTZEN,  
AUGUSTISSIMI BORUSSIÆ RE-  
GIS CONSILIARIO STATUS

INTIMO,

REGIÆ ARCIS PRÆFECTO, PRÆSIDI  
REGII CONSISTORII, RERUM FEUDALIUM DIRE-  
CTORI SUMMO, COMITATUS RUPPINENSIS,  
PROVINCIÆQUE BELLINENSIS PRÆSIDI,  
ORDINIS NIGRÆ AQVILÆ BORUSSICI,  
NEC NON S. ANDREÆ MOSCOVI-  
TICI EQVITI

HÆREDITARIO DOMINO IN MARQUARD  
& Caro &c.

DOMINO SUO BENIGNISSIMO AC  
MÆCENATI SUMMO HONORIS ET PIETA-  
TIS CULTU PROSEQVENDO.

PERILLISTRIS, GENEROSISSIME atq;  
EXCELLENTISSIME DOMINE,  
MÆCENAS BENIGNISSIME.



Cademicam hanc Dissertationem, ad  
qvam disqvirendam & defendendam  
Majorum respe&tus & Autoritas me  
impulit, *Perillustri Excellentiae* Tuae hu-  
millimè consecrare atq; *Gratiosissimis*  
*Oculis Tuis* exponere audeo in præsens. Qvod, ut  
spero, *Tu, Mæcenas Maxime*, vitio mihi haud vertes,  
si conatum ad res maximas adhibens, atq; umbratili  
hac Exercitatione in palæstram & publicam Doctissi-  
morum Virorum coronam procedens, chartaceum  
hocce munusculum *Perillustri Nomi* *Tuo*, qvi domi  
forisq; rei literariæ & literatorum Fautor Summus  
jure meritòq; audis, sacrare, mihiq; Gratiam, Tute-  
lam ac Patrocinium Tuum conciliare annitor. Inte-  
rim

rim obnixè rogo , ut præsentem hanc observantiæ  
meæ tesseram , animo æqvo , favente ac gratioſo ,  
ut foles , recipias , meq; & Studia mea Tibi com-  
mendata habeas . Ego verò usq; contendam , ut reli-  
gioſi Clientis partibus nusquam delim , & Summum  
Æternumq; Numen indefessis fatigabo precibus , ut  
*Per-Illustrem Excellentiam Tuam ad Nestoreos annos*  
cum Universa Perillustri Familia fospitem atq; ex voto  
florentem conservet . Qvod tota mente precatur

Perillustris Excellentiæ Tuæ

Devotissimus & Subjectissimus  
Servus.

Joh. Frid. Prozenius.  
S. S. Theol. & Philos. Cultor.



# DISPUTATIO DE TRIBUS STATIBUS PRINCIPIS.

## SUMMARIUM.

- I. **Q**ualem Ideam Principis IV. Princeps Reip. Caput. Hinc  
hic moliamur. MORI ab ejus recto aut per-  
*Utopia, PLATONIS Re-*  
*publica &c. figura ex-*  
*clusa. Ejus Convenientia*  
*cum Natura Indole Princi-*  
*patus. Hinc Normæ loco.*
- II. **M**oralis Boni Idea quæ? V. Quid sit Principis Ideam  
Ejus latitudo. In Principe secundum Intima Rerum  
Bono omnes cæteras considerare? Centralium  
Laudes & Virtutes con- Veritatum influxus in o-  
currere. mines reliquas in eo ge-  
nere.
- III. **O**bjectiones contra Bonita- VI. Earum Effectus. Con-  
tem Principis Moralem re- victio major. Facilitas reti-  
solutæ. Ratio Status vera & nendi. Certitudo applicandi.  
Falsa. Principes Boni & Sim- Stimulus ad his conformiter  
plices discernendi. AtMo- agendum. Influxus in  
raliter Bona & publicè Utilia Educationem Principalem  
nunquam separanda. & Consilia Principum.

A

VII.

- VII. Princeps Persona Moralis. Quid illa? Hanc ordinariò certa quadam Relatione absolvi. Ejus nexus cum Officio cuiusq; Singularia circa Personam Moralem Principis.
- VIII. Qvæ Relationes Principi qvâ Principi Nativæ & Propriae sint? Princeps Relatè AD DEUM, Dei Vicarius & Administrator. Relatè AD SUBJECTOS, Patrie Pater. Relatè AD SE IPSUM & ALIOS, Homo, sed Caput plurium. Demonstratio, cur hæ Relationes Principi Essentiales sint? Illarum vestigia in S. S. Ps. LXXXII. v. 6. 7.
- IX. Qyomo do his Relationibus Ministrī Principum & Magistratus cuiuscunq; Ordinis participant. Subordinatio illorum sub Principe, & splendor repercußus. De conditione harum Relationum in Oligarchia & Democratia remissivè.
- X. Concursus omnium harum Relationum in Relatione Superioris ad Inferiorem. Illud in Vicarii Dei, Patris Patriæ & Homini qui plurimum Caput sit, Idea monstratum. Eminentia Principis tanto major, qvò hæc magis in eo resplendent. Hinc & Princeps aliquid Inviolabile & Sanctum.
- XI. Recursus Subjectorum ad Principem, ut Centrum Reip. in his tribus Relationibus Vicarii Dei, Patris Patriæ & Homini plurimum Capitis fundatus. Unde fundamentum Obligationis Subjectorum.
- XII. Nexus illarum Relationum cum Generalibus OFFICIIS Principatus. Qvæ sunt. Adspicere SUPRA SE ad Deum, cuius Vices gerit. Despicere INFRA SE ad subjectos, quorum Pater est. Respicere CIRCA SE AD SE ALIOSQUE, ut Caput ad Membra,

- Membra, Hominesq; e-  
jusdem Naturæ.*
- XIII. *Cur tria bac Officia in-  
ter se juncta & copulata  
esse debeant, ad Princi-  
pem verè Bonum & Ma-  
gnum efficiendum. Nexus  
illorum inter se invi-  
cem.*
- XIV. *Splendores diversi  
harum Relationum.  
Trajanii laus apud Plini-  
um. Tolosani lusus de Pa-  
pis qvibusdam. Unio &  
Mixtura illarum necessa-  
ria.*
- XV. *Tria genera Monito-  
rum Principis. Conciona-  
tores Aulici: Nuncii & Le-  
gati Dei ad Principem. Mi-  
nistri: Oculi, Aures, Ma-  
nus Principis. Ordines i-  
tem Reip. & Magistratus  
inferiores. Denique Pro-  
fessores & Eruditi: ut Do-  
ctores, & Consiliarii Uni-  
versales generis humani.*
- XVI. *Qvomodo, nec Ni-  
mium, nec Nimiris Parum ex-  
qvalibet Relatione affu-  
mendum fit. Pradomi-*
- nantes Inclinationes Prin-  
cipum qvæ? Illarumq;  
Effecta.*
- XVII. *Nimum Vicarios Dei  
& Deos Terrestres se cogi-  
tare Principes Superbos,  
Crudeles, Subjectorum Con-  
tentores, Caligula Exem-  
plum.*
- XVIII. *Nimum Patres Pa-  
triae videri velle, Princi-  
pes Indulgentes. Dicteri-  
um in Charillum Lacedæ-  
moniorum Regem.*
- XIX. *Nimum Homines se ex-  
hibere Principes per Fa-  
miliaritatem Niriam, aut  
Demissionem animi in ad-  
versis. Ludovici Mori Ex-  
emplum.*
- XX. *Contra, Nimiris Parum  
se Principes atq; Vicarios  
Dei cogitare, qvi se Mini-  
stris permitunt. Parum  
Patres Patriæ, qvi Seve-  
ritatem Clementiæ non  
temperant. Parum Homi-  
nes Capita Plurium, Prin-  
cipes Inhumanos & Savios.  
Domitiani truculentia.*
- XXI. *Objectiones contra  
hanc*

hanc Ideam Principis, & aduersus Modum illam in actum traducendi, resolvuntur.

XXII. Modus, qvo Officia ad diversas Relationes pertinentia ordinanda sint.

## TH. I.

**D**EAM PRINCIPIS h̄c sistimus. Typum scil. Lineamenta aut Delineationem qualemcumq; Neq; Platonicas de optimo Reip. statu Ideas (a) (qvæ pro diverso concipiendi modo immensum variare possunt) h̄c expectet quisquam, multominus cerebri figmenta, aut Imaginationis sva- ves Lusus, quales in Mori Utopia & aliis ejus generis scriptis (b) cernuntur. Non enim animus est fingere Principem; sed ex Intimis Rerum, atq; ipsa indole Principatus

(a) De quo scopo PLATONIS ita Doctiss. RHEINHARDUS in Theatro Prudentia Eleganteris ex Lipsio, in Proemio monet: Ipse Plato in Libr. de Republ. proficitur, se huiusmodi Reip. formam tradidisse, non quæ esse in societate generis humani posse, sed quæ sit ὡς πραγματεύμενη, quasi exemplum quoddam, ad quod quantum, propriis Reip. accessisset, tanto perfectior censori paleat. Quod verò ipsa humana conditionis indoli praesenti parum accommodata fuerit, vel ex eo patet, quod MARSILIUS FICINUS in Argum: Libri I. Platonis de Republ. de illa adnotat; scil. hanc ita adornatam esse, in qua sublatissimæ proprie possessionis gratia contentinibus, communia sint, pro ipso jure naturæ, omnibus omnia, communis sit copia, firma concordia, cunctorum una voluntas, ideoq; ad contemplandum semper expedita tranquillitas.

(b) Qualis CAMPANELLÆ Civitas solis. DIDACI BERNHARDINI sive JACOBI BIDERMANNI Utopia, JANINICII ERYTHRÆI Eudemia, RESP. DE SEVERAMBES etc, de quibus compendio vide jam laudatum RHEINHARDUM cit. loc.

ēipatūs eruere, qvalem oporteat esse Principem, qvi huic tam illustri, tam eminenti inter Homines officio ita satisfacere qveat, ut & conscientia sua consulat, & Felicitatem publicam, quantum fert humanarum rerum præsens conditio, promoveat maximè. Juxta Nativam Perfectionem instruere hanc Ideam allaboravimus, ut Norma loco esset, ad qvam perpetuò respicere, tanquam in Exemplar aliquod, Princeps possit, qvi hoc tam prænobile Officium ex dignitate tanti munieris administrare cuperet. Ad qvam Normam & Mensuram, qvò proprius accedit Vita Principis, tantò ille illustrior, melior, major & tam insigni officio dignior habendus erit. Utrum vera hæc & Naturæ congruens Idea fuerit, patebit, si Principi qvâ Principi, & ita omni Principi, in omni conditione & statu, applicari possit. Id qvod indicio erit certissimo, ex ipsis Naturæ Intimis, adeoq; Indole Principatus Nativus, depromtam eandem fuisse. (c) Interim Lineas tantum hîc ducimus, qvæ in singulis suis partibus pleniùs multò & Exemplorum varietate illustratae uberiùs tradi poterunt, & forrè à nobis potuissent, si hoc quidem nunc ageremus in præsentia. At illud Veritatis indicium fuerit certissimum, si omnes tam longè diffluæ Lineæ in paucis illis, qvæ hîc designavimus, Centris concurrent tandem & convenient.

A3

TH. II.

(c) Satis enim congruenter naturæ rerum CARTESIUS in Tratt. de Meth. p. m. 17. licet in diversissima materia adnotat: *Cum à simplicissimis & maximè generalibus incepisset, ordinemq; deinceps obserbarem, singulae Veritates quas intenuebam Regula erant quibus postea utebar, ad alias difficiliores inuestigandas. Quod idem & in hac materia à nobis observatum fuisse, attentus Lector facile animadverteret.*

MORALEM verò IDEAM Principis hīc tradimus. *Moralis enim doctrina in Practicarum generare Architectonica* (d) est & Universalis, qvam juxta omnia Actionum momenta discerni ultimō & dijudicari debent. *Nihil enim in Vita Activa verè Magnum & illustre, nisi & Bonum.* (e) Ita ergo Idea Moralis, qvæ Principem Bonum ex intimis principatus notiōnibus erutum nobis sīstet, omnem Principalis laudis complexum repräsentare nobis poterit; qvæ uno hoc titulo comprehenditur, PRINCEPS BONUS! Hac enim una Idea continetur, qvicqvid de Princepe verè Magno, Pio, Justo, Forti, Magnanimo, Prudente, Liberali etc. concipi aut cogitari potest. Cūm omnes reliquæ Virtutes (siquidem verè tales sīnt, & non, ut ferē sīt, pro talibus tantum venditentur) non nisi Bonitatis Moralis Radii qvidam & partes sīnt. Illa verò *Magnitudo, Prudentia, Magnanimitas, Liberalitas Parsimonia,* (& qvo: modocunq; etiam ab Adulatoribus atq; Scriptoribus justarerum pondera haud attenden- tibus celebretur) qva in Bonitate Morali tanquam Matre & Radice sua non fundatur, falsa, fucata & subdititia esse intelligitur. Ex qvo constare potest, Moralement Ideam Principis per omnes Principiū par- tes se porrígere.

(d) *Quia Hominem quā Hominem percīt, ut BEGMANNUS Noster observat in Lin. Dotr. Mor, in præcognitis.* Unde etiam *Ars Vita* vocatur ap. SENECA. Ep. XCV.

(e) *Quam in rem non inepit idem SENECA philosophatur Lib. I. de Ira. Non est quod exīstimes serum esse, quod apud dīscē- simū Virum Līsum dicitur. Vir ingenii Magni magis quam Boni. Non potest illud separari. Aut Magnum & Bonum erit, aut nec Magnum.*

Objiceret h̄c fortē aliquis, perversis Machiavelli & Hobbesi principiis imbutus. (f) Principem ad Bonitatem Moralem non posse usq; astringi, neq; Interesse Reip, & Rationem Status (ut vulgo vocant) id semper & ubi vis pati. Resp. Veram rationem Status ab ipsa indole Principatus & intimo Nexus cum Vicariatu divino atq; salute Reip, cuius Pater & Caput Princeps est, nunquam posse divelli. Cum enim Deus, cuius Vicarium Princeps quisq; agit (qvod illi false Rationis Status assertores negare non audebunt, ut spero,) Ens summe & absolute Bonum, Justum & Sanctum sit, si ab hoc agendi tramite voluntariō recedit Vicarius, in Deum Rebellis erit, nec Vices Dei, hac certe in parte, implet, qui ut ipse per Naturam Bonus est, ita Vicarios suos non nisi Bene agere, Velle potest. At ē contra Diaboli, hostis Dei, Vicarium agit, qui per Malitiam, Injustitiam, Avaritiam, Injuriam, Fraudes, Mendacia & qvamcunq; aliam rationem ad fines suos gravatatur. Qvod si per Imbecillitatem & Incogitantiam aut Judicii Infirmitatem ita agat, ne quidem Vicarium Dei in terris, hac in parte, sed Hominem se exhibet, neq; illum ad Imaginem Dei conditum, sed per Lapsum depravatum & intellectū cæcitati affectuumq; imperio obnoxium,

verbo

(f) Quod spectat speciatim insignis illa MACHIAVELLI impietas, cum Cesarem Borgiam Principem Valentiniū Papæ filium, ut Hominem sceleribus gravissimis ad stabilendum imperium se coinquiantem describit, & tamen de eodem eo ipso Cap. IV, de Principe enuntiat: Meliora Nob̄o Principi precepta tradi non posse, quam ejus Vita Exempla. HOBBESIUS vero in Leviath. Cap. VI, audacter affirmat: Nihil esse simpliciter Bonum aut Malum, nec ullam Boni, Mali, Viti communem esse Regulam, ab ipsorum Obiectorum naturis deribatam.

verbo *infirmum*, instabilem, in Deo Principali suo non satis confidentem: à qvo *Status Imperfectionis* recedendum quām maximē est iis, qui eximiam illam personam, quām Vicariatus divinus Principibus imponit, gerere ritē volunt. Atq; ita *Falsa Ratio Status* (g) à Bonitate morali sejuncta, & cum scelere & aliorum injuriā conjuncta, non *Ratio Status*, sed *Tegumentum* quoddam *Malitia* & perversæ cupiditatis humanæ est. Principi Christiano verò tanto magis vitanda, qvod ex dūplici lumine Rationis scil. & Revelationis, Vicariatus sui leges habere potest & debet cognitas perspectasq;. Nec obstat: qvod hæ fraudes & *Ratio Status* à Bonno recedens feliciter cessisse multis Principibus videantur. RESP. (1.) Uni, cui ista feliciter cessisse videntur, plures multò opponi posse, qvibus diminutionem status & exitium attulere, si Historiam consulamus. (2.) Totum casum & exitum spectandum esse, qui raro felix fuit, ut in *Alexandro M. Julio Casare, Attila* etc. videri potest. (3.) Arcanam Dei providentiam (cujus instrumenta & mali sunt) subesse qvandoque: & Principibus ad malum declinantibus, *ut Virgis Ira* fūe (h) Deum uti interdum ad populos alias castigandos, qvod ubi perfecit, Virgas has abjicere, igne concremandas aut obterendas. Cui fato an Principes suos per falsam & Deo contrariam Rationem Status præparare velint ejusmodi impiorum consiliorum Autores,

(g) *Quam πολιτικώτερος* FORSTNERIUS Comment: In Lib. III. Annal. Cap. XXVI, cum *Flagitiis Dominationis & imperiorum Sophismatibus* comparat. Confer & Celeb. Röhrensee in Dīscit. *De Monstroso Rationis Status aequibocatione*, spēciam. §. 18. & seq.

(h) Quale quid de *Affire* sacra pagina affirmat, Esa. X. 5.

tores, ipsi viderint. Neq; porrò obstat, qvòd sub *Patrūs tenebris Pii & Boni* (i) nomen ferè illis tantùm Principibus adhæserit, qvi *Simplicitate Ingenii præpediti*, effusè largos se erga Clerum exhibebant, magno Reip. & ipsorum Successorum damno. Hoc enim ævi illius vitium ipsi Naturæ Bonitatis obstat non debet. A nobis *Mascula*, & *Principe Dei Vicario digna Bonitas*, sub nomine Bonitatis Moralis h̄c indigatur, qvi & hac in parte Imaginem Dei gerat necesse est, qvi ita *Bonus* est & *Sanctus*, ut simul *Sapien-tissimus & Prudentissimus Rector Universi* existat. Interim illud usq; tenendum est, *separationem ejus*, qvod moraliter *Bonum & publicè utile sit*, sive *Moralis & Politicè Boni*, ne melioribus quidem Ethniciis approbatam, apud Christianos, in tanta Luce divinarum Veritatum, ne qvidem in disceptationem posse deduci, qvippe qvibus ex Sacris suis indubitate constat: *Deum* non modò naturā Bonum esse, sed & ita Bonum, ut velle & jubere malum, imò & communicare cum Malo, per Naturam suam Sanctissimam nunquam pos- sit. Ex qvo, qvid Vicariorum Dei officium circa Bo-num Morale fit, per Se patet.

## TH. IV.

PRINCIPIS porrò *Ideam* h̄c repræsentamus. Personæ Eminentissimæ in Republ. & Dirigentis. Quem dum *Caput Societatis & Rectorem* appellamus, cum ejus bona aut mala, prudenti aut imprudenti directione felicitatem aut infelicitatem Reip. ubiq; co-pulatam esse perspiciemus. Cūm autem naturale,

B qvod-

(i) Quale quid & BECMANNUS Noſter advertit in *Diss. de Cogni- min. Principum*, Cap. II, §. 5, & 7.

qvoddam Felicitatis desiderium omnibus hominibus insit (k) facile judicari potest, quantum intersit omnium, ut Princeps Bonus sit. Qvod clarius etiam patescit, si attendamus, qvam arcte privata singulorum Felicitas cum illa publica, qvam Princeps procurare debet, conjuncta sit & conglutinata. Nec non, si illud expendamus, ut rerum optimarum abusus pessimus est, & generosissimum vinum in acetum acerbissimum degenerat; ita à Principe Malo aut qvomodocunqve aberrante, totius Status publici ruinam, vel certe detrimentum, proficiunt. Qvò magis sedulò connitendum est, ut Principum animis veræ, solidæ, & ex ipsa Principatus Indole deponant, rationes atq; Ideæ instillentur usq; ut in Benefica Patriæ Sidera evadant, qvæ salutari influxu suo publicam rem in omnibus partibus suis foveant, salutemq; communem ubiq; promoteant & extendant.

## TH. V.

*Principis* vèrò *Ideam SECUNDUM INTIMA RERUM* considerare fert animus. Qvæ enim vulgo obiter aut sparsim de Principe dicuntur, in suis quidem partibus laudem habere possunt; at qvæ ex ipsa Natura Rei, & hīc quidem ex ipsa Indole Principatus eruuntur, multum à ceteris Veritatibus in hoc genere differunt. Nam & *Veritates Centrales*, si genuinæ sint, omnia Principis Officia uno nobis obtutu sifunt, & simul qvicquid verè Bonum, verè illustre & rationi conforme de Principe dici aut cogitari

(k) Vel ut SENECA loquitur, Lib. I. de Vita Beata Cap. I. *Vibere omnes beate volunt, vel cupiunt, maximè naturali quadam cupiditate,*

tari potest, illud omne cum his tam paucis, tam simplicibus & primigeniis Ideis, conspirare & intimè connecti deprehendetur. (1) Hoc fine *Veritates* has nudas, & absq; ullo exteriori ornamento & testimonio exquisito variorum Autorum, repræsentavimus, solo naturali splendore suo radiantes. Non *Amori* cujusquam aut *Odio* hic aliquid damus, qvorum illud *Adulantis* esset, hoc *Criminantis*, qvod utrumq; abesse à *Philosopho*, *Christiano* præsertim, qvam maximè convenit. Neq; *Intima rerum* hoc patiuntur, qvæ *perpetuò* inter se *connexa* & naturali luce splendentia, proderent statim, si qvid heterogeneum & fictitium admisceretur. *Exempla*, qvæ tamen *paucā* inspersimus, ne Veritatum nexum interrumpemus, ex Veteris aut certè Superioris Ævi Historia desumsimus, ut tanto magis constaret, nihil nos Odio aut Gratiae dare. Prout Indoles Principatus & ipsa hæc Intima rerum ferebant, ita *Virtutibus* suam laudem, *Vitiis* & *Erroribus* suam infamiam, qvæ naturaliter illa conseqvuntur, attribuimus. Utrum verò in ipsis primigeniis Veritatibus in hoc genere *constituendis*, aut in naturaliter connexis veritatibus ex primigeniis illis eruendis, cæspitatum à nobis sit, aliorum esto judicium. Nam labi & errare, præser-tim in materia tam ampla & tam latè diffusa, huma-num. Illud interim operam dabimus, ne aut Voluntas Affectuumq; inclinatio in unam alteramve, partem nos à vero retrahat, aut sicuti fortè nos labi contingat, moniti & convicti meliora, prompti seqva-mur. Nam, sicut non errare ultra humanam sortem

B 2

in

(1) Confer, que de indole Centralium Veritatum notata à Nobis sunt, in *Diss. de Intimis Rerum & Veritatum*, §. 5, 6, 7, & 8.

in statu præsenti est; ita errores suos obstinate tueri, diabolicum est vitium (m).

## TH. VI.

Qvod si vera & genuina Rerum Intima in hac Morali de Principe Idea tetigimus, labor hic noster, ut spero, non sine fructu erit. Ob Nativam enim Lumen Veritatum ejusmodi simplicissimarum *Convictio major* naturaliter sequitur. Convictionem intimam *Retinendi Facilitas* comitatur. Retinendi facilitatem, *Applicandi Certitudo* & *Stimulus ad bis conformiter agendum*, quæ in ipsa natura Officii fundata sunt, apud Generosos animos per se sequitur. Quantum verò Boni & Felicitatis in rem humanam redundaret, siquidem paucæ hæ, simplicissimæ, & Statui Principis, quatenus ille Princeps est, Intimæ Ideæ in usum Vitæ Principalis ubique transferrentur, piè prudentis cajusque judicio submittimus. Certe, si teneris *Principum animis* faciles hæ, claræ, illustres & sua luce rariantes, atque ex intima Principatū indole deponitæ *Ideæ*, insillarentur, atq; paulatim succedente ætate intimus nexus, quem cum omni Vitæ Principalis ordine habent hæ Veritates commodè isdem insinuaretur, sperandum fore omnino (accedente divini Numinis, Regis Regum & Principum Principis gratiâ) ad omne Virtutis & solidæ laudis studium *Principum Juvenum* animos inclinatum iri. Quod si in Consiliis *Principum idem ubiq;* tenor servaretur, & ad primigenias ejusmodi & *Principum conditioni intimas rationes usqve attenderetur*; tum &

Vera

(m) Juxta illud Diaboli symbolum apud GEULINGIUM, in Eib. sua  
Tract. IV. §. 8. Perge, quia incepisti! ubi pluribus de Diabolo  
seu Pertinacia, tanquam Virtutis & Venitatis hoste, agit,

*Vera Principum Magnitudo, qvæ in Virtute, & nexu Acti-  
onum cum Indole Principatus Nativæ posita est, pro-  
moveretur plurimū, & Subjectorum Felicitas, qvæ à Prin-  
cipum felici Directione pendet, summoperè adauge-  
retur, divinæq; Benignitas in hos suos Vicarios, & eos  
qui ipsorum Imperio subsunt, magnoperè promovere-  
tur.*

## TH. VII.

Sed ad rem propriis accedamus. Princeps, cuius Ideam exhibere aggredimur, Persona Moralis est Naturali superaddita. (n) Et hæc Persona Moralis, si accurate calculum ponimus, non nisi Respectum quendam aut Relationem Personæ Naturali adjicit: unde certæ Denominationes, Officia, Prærogativæ pendent. Qvæ quidem Officia ita Relationibus istis innexa sunt, (nisi tituli merè inanes fuerint) ut qui Denominationes has & Prærogativas velit, etiam Officia his innexa implere debeat omnino. Unde à Superiori iure reprehendi & puniri potest, qui Prærogativas Personæ Moralis quidem accipere velit, Officia huic Personæ adhærentia negligat. Cum Officia in sacerdotium debitorum sint, quæ persolvenda usq; ad extrellum conatum. Et hoc quidem Princeps cum omnibus, qui Personam aliquam Moralem in Vita humana gerunt, habet commune. Illud *precipuum*, quòd cùm ordinariò Superiori alium nisi Deum haud agnoscat, neq; ulli alteri

B3

ad

(n) De his ita Celeber. PUFENDORFIUS de. J. N. & G. Lib. I.  
Cap. I. §. 12. *Entia Moralia, que ad analogiam substantiarum  
concipiuntur, dicuntur Persona Morales, que sunt Homines sim-  
guli, aut per singulum morale in unum systema connexi, confe-  
derati cum statu suo aut munere, in quo in Vita communi ver-  
santr;*

ad reddendas rationes de Officio suo recte aut perpetram gesto teneatur. Quo intuitu *Sinensum Imperatores Uni Deo peccata sua confitebantur*, qvia illi Uni rationem actionum suarum reddere tenerentur. At tantò magis obligatur ad Personam suam Moralem in hoc mundo cum curà gerendam Princeps, qvia tot hominum salus aut infelicitas ab illius recta aut prava administratione pender; tum qvia illius Numinis immediatus *Vicarius* in terris est, *quod ita Bonum est, ut nec malum esse posse*, imò ne cum malis quidem habere consortium.

## TH. VIII.

Cùm autem omnis *Persona Moralis* certa quadam Relatione absolvatur, *ut superiori §. ostendimus*, inqvirendum nunc porrò, ad Ideam Principis ritè formandam, *qua sint illae Relationes, qua Principi quā Principi native & proprie existunt*. Cùm autem illa Relatio, qvam Princeps habet ad Subjectos, in Eminentia quadam Potestatis in alios & Directione Aliorum ad communem universorum salutem consistat, (o) in tres quasi ramos hæc Relatio Officii Principalis discedit. Qippe relate AD DEUM, à quo hanc suam Potestatem singulari quadam ratione Princeps habet, DEI in his terris *VICARIUS & ADMINISTRATOR* est. Relate AD POPULOS *sibi subjectos PATRIÆ* vel POPULI (ceu magnæ cujusdam familiæ) PATER est. Cui accedit relatio tertia AD SE IPSUM, ratione HUMANÆ NATURÆ, qvomodo HOMO est

(o) Confer Joh. Frid. RHEINHARDUM in *Theatro Prudentie Eleganti*, ex Lippia, ad Lib. II, Cap. VI, §. I, no. I, & Lib. V, Cap. IV, §. 3, no. I.

est manetq; sed in hac ipsa Societate Humana non Homo qualiscunq; sed CAPUT PLURIUM. Ita ut excellens Character VICARII DEI Officii Eminentiam Deo proximam; PATRIS PATRIÆ snavis titulus Intimum & Arclissimum Nexus Affectumq; Principis & Subjectorum: HOMINIS, sed PLURIUM CAPITIS, appellatio Communionem Nature & Originis, atq; Vinculum Naturale, qvo Princeps & Subjecti tanquam Membra colligantur, demonstret. Qvod vero hæ Relationes Principi Essentiales sint, totamq; Ideam Moralem, Principis absolvant, ex universali influxu harum Relationum in omnia Officia Principalia inferius patebit, qvæ si universa ex tribus his Veritatibus, tanquam totidem Centris Officiorum Principalium, demonstrari possint, hoc ipsum certissimo indicio erit, illas totam Ideam Principis, qvæ Princeps est, absolvere. (p) Qya de re uberiori in Dissertatione de Intimis Rerum & Conceptuum egimus. Ille ipse vero Consensus omnium Veritatum in una vel altera Simplici & Centrali Veritate certissime arguit, Veritates illas genuinas & primigenias fuisse. (q) Universæ autem hæ Relationes Principis Ideam constituentes, etiam in S. S. expressæ videntur, in prænibili loco Ps. LXXXII. v. 6. 7. ubi Deus ipse Principes ita alloquitur: *Dixi, vos esis Dilecti & Fili*

(p) Restè enim CARTESIUS, magnum illud in Philosophia nomen, in tract. de Methodo p. m. 17. Notandum est, cajusq; rei unicam esse Veritatem, quam quisquis clare percipit (adde & eidem accurate inhæret, verum ex vero rite deducendo) tantundem percipit, quantum ullus alius seire potest.

(q) Quæ est ipsa illa inquisitio Veritatum, à peripheria ad Centrum se extendens, illud Intimum & Primum inquirendo, à quo omnis Motus origo in hoc genere Veritatum pendeat, ut cit. Diss. §. 8. insinuavimus.

*& Filii Altissimi, sed moriemini sicut Homines, & sicut Tyranni interibitis.* Ubi vox Dei vel Elohim Vicariatum divinum, vox Tyranni, malis Principibus tributa, Patris Patriæ, vel populi oppositam significationem Bonis Principibus tribuendam, vox *Hominis* verò tertiam eorum Relationem ad se ipsos innuere videtur. Particulariter verò in variis S. S. locis occurunt, sed illud nunc non agimus.

## TH. IX.

Ex his, quæ de Principe & ejus Persona Morali, quam sustinet, Relationibusq; quas ad Deum, populos sibi subjectos & se ipsum ut Caput Plurium habere debet, §. antecedenti insinuavimus, facile patet, quid de Potestatibus Subordinatis, scilicet *Ministris Principum & Magistratibus cuiuscunq; ordinis* habendum sit. Non enim illi *per se* Dei Vicarii, Populi Patres, aut Plurium Capita sunt; sed ut *Luna à Sole*, ita hi à Principe, cuius vices in muneribus sibi concreditis gerunt, omnem suam lucem & splendorem habent, illiusq; iterum Vicarii sunt. Hinc *non Deo tantum, sed & Principi reddenda ipsis rationes*, qvomodo se in muneribus sibi concreditis gesserint. Licet usq; simul ad Deum, tanquam Rectorem hujus universi, reflectere debeant: unde & *Josaphatus Judicibus, Subordinatis licet, ipse inculcat, illos Judicium administrare non Hominibus, sed DEO, & illum adesse ipsis in Judicio 2. Chron. XIX. 6.*

(r) Et subjecti omnino etiam ad illos tanquam personas

---

(r) Quod ita declarat VATABLUS: *Vices Dei geritis, non Hominem, & MARIANA: Quasi Deo non Homini rationem reddituri, judicate.* Quæ tamen ita accipienda sunt, ut Subordinatio corundem sub Eminentioribus Dei Vicariis, & necessitas his rationem reddendi, non excludatur.

sonas inter se & Principem intermedias, Patres &  
 Capita plurium respicere debent. Qvo nomine Paulus  
 Rom. XIII. 1. monet, ut *Omnis Anima Potestati Supre-*  
*minenti* (cuicunq; scil. adeoq; & Subordinatæ (s))  
*subjecta* sit. Qvæ tamen subjectio usq; in ordine ad Su-  
 periorem, cuius Vicarius qvis Minister aut Magistratus est,  
 intelligenda venit. Unde &, si jussa Principis & Ma-  
 gistratus subordinati discordent, Principi potius  
 qvam Subordinato Magistratu aut Ministro obtem-  
 perandum est. Censetur enim ita Princeps illos Vi-  
 carios suos constituisse, ut suum in Subjectos *Imperium*  
*Eminens* non dimiserit. In *Republ.* verò, ubi *Optimates*  
 vel *Populus* imperat, Relations hæ ad plures simul  
 sumtos referuntur. Qvi *omnes simul sumti unam Perso-*  
*nam Moralem Deo Vicariam constitunt*. Qva de re con-  
 ferri possunt Scriptores Politici. Unde & ad illos,  
 qui publicam personam h̄c gerunt, paucis mutatis,  
 illa qvæ hac tenus diximus, & dicemus inferius, trans-  
 ferri possunt: nisi qvod h̄c splendor ille tam ampli  
 muneris non tam in singulis qvam universis simul  
 sumptis reperiatur, qvale qvid in *Batavia & Helvetia*  
*Ordinibus*, similibusq; Rerupubl. Liberarum Recto-  
 ribus, habet locum.

## TH. X.

Sed ad Principem redeamus. Triplex illa Re-  
 latio Principis, qvam Th. VIII. excussimus, & in qua

C

indo-

(s) Qua de re ita GROTIUS ad h. l. Intelligit h̄c Principes Re-  
 ges & quocunq; alio nomine sunt Tutores Scatis Publici, ne  
 SENECA Loquitur Lib. IV. de Clementia, quorum constituta  
 potestate simul constituta est potestas eorum, qui sub illis regunt  
 populos, nimirum pro mandata ipsius parte, ut explicatur. I. Pet.  
 II. 13. 14.

indolem & naturam Principatus collocavimus, si penitus illam excutiamus, universa concurrit in Relatio ne quadam Superioris ad Inferiorem. Cùm autem omnis Superior ratione Inferioris quidem Superior, ratione Superioris verò Inferior illiusq; ad summum Vicarius sit, donec deveniatur ad Summum, qui Superiorum nullum agnoscit. Qvomodo servus Hero, Herus Magistratui Civicu, Magistratus Civicus Magistratui Provinciali, Magistratus Provincialis Intimo Senatui Principis, Intimus Senatus Principis Principi subest: nisi quid aliud Leges fundamentales Regni disponant. Ita Princeps ratione subjectorum quidem omnium Superior, at ratione Dei Inferior, illiusq; ad summum Vicarius esse facile colligitur. Qui Vicariatus Dei in terris, qvanquam plurimum splendoris & Majestatis eidem circumponat (ut inferius videbimus) tamen à Dependentia à Deo tantum abest, ut illum absolvat, ut etiam singulari ratione illam astringat; sicut Minister Summus Vices Principis gerens magis Principi ad reddendas rationes obligatur, qvam aliquis subjectorum, qui tam immediate cum Principe non connectitur, & cui tam ampla provincia concredita non est. Porrò altera illa Relatio, qvà Princeps ad Subjectos, ut Pater ad Liberos, vel magnam aliquam Familiam referatur, in ipsa origine Imperiorum & Principatum fundata est. Qvippe Imperium primò à Patribus Familias ad Magistratus & Principes indeq; ad Reges, licet interveniente totius populi & plurium consensu, translatum primò est. At qvævis res, qvamcunq; demum ad magnitudinem & excellentiam perveniat, naturam tamen non exuit, ut in Auro purissimo, Urbe splendidis-

didissima, Imperio vastissimo animadverti potest,  
qvæ auri, urbis, imperii Naturam non exuunt, licet ab  
illa tam parva origine sua *Gradu immensum distent*.  
Qvod idem in Principatibus habet locum, cum alia  
nulla potestas à patribus familiâs ip̄ Principes transfi-  
sse censeri possit, qvā illa qvam ipsi habebant, licet  
ob imperiorum magnitudinem & publicæ rei neces-  
sitatem multa aliter instruenda essent, qvā inter  
Parentes & Liberos sive Familiam privatam fieri haec-  
nus consueverat. (t) Qvæ tamen omnia Naturam  
Principatūs non mutarunt. Unde & Maximi qviq;  
Principes originis imperiorum memores, *Patria &*  
*Populi Parentes* audire maximoperè exoptarunt: (u)  
& *Patris Patria* grande nomen specie modestia recusatū à  
Tiberio fidem civilis animi ei non faciebat, cum facta ejus  
contrarium testarentur (w) Tertia verò Relatio Prin-  
cipis ad Se ipsum, ut Hominis quidem sed Capitis plurium, par-  
tim

## C 2

(t) Atq; hanc ipsam ob causam acutissimi Sinenfer administratio-  
nem Reip. administrationi Familiae superstrūtam esse debere  
judicarunt, quā de re ita famigeratissimus Sinenfum Philo-  
sophus CONFUTIUS in *Scientia Sinica*, qua Parisis prodidit,  
pag. m. s. *Volentes recte administrare suum Regnum seu bene*  
*instituere priuati Regni sui populum, prius item recte institu-*  
*erant suam Familiam Domesticam, ut scil. Idem haberent, juxta*  
*quam deinde bene instituerent regerentq; totius Regni populum.*  
*Regni enim recte administrandi radix, magisq; principale est, fa-*  
*milia domestica recte instituta.*

(u) Quem in sensu eleganter ELISABETHA, Magna illa Angliae  
Regina, Parlamento roganti ut nuberet, respondit: *Subditos li-*  
*beriorum loco sibi est, & se populo cum inaugurationis sue ritus*  
*celebraretur, nupsi; ut referit BURNET in Hist. Reform. Ec-*  
*cles. Anglic. P. II. fol. 251. confer & jam laudatum RHEIN-*  
*HARDUM in Theatro Prudentia Elegant, ex Lipsio. Lib. II. Cap.*  
VI. §. 7.

(w) Quippe conscientiâ facinorum insignem adeò titulum ab eo spre-  
cum vulgo judicabatur. vid. TACITUM *Annales*. l. 72. s.

tum in superioribus utrisq; partim in ipsa considera-  
tione Naturæ suæ fundata est. Qvippe sibi Subjectos  
ipsa illa vicaria & Deo amula *Eminentia* super plures,  
nec non *Patria Potestas in plures*, illum, si ad ipsum Se-  
reflectat, omnino Caput Plurium constituit. At cùm  
*Persona Moralis*, qvæ ei per hoc munus circumponitur,  
*Personam Naturalem* in ipso non exstingvat, nunquam  
se Caput Plurium esse meminisse debet, qvin & si-  
mul *Hominem se esse meminerit*, atq; ita totam illam tam  
amplam Potestatem in alios *Homines ejusdem Naturæ*  
sibi traditam esse cogitet. Verbo *Princeps tanto magis*  
*Vicarius Dei est*, qvò magis aliquid *ro Θεον seu divinum*,  
vel divinæ perfectionis æmulum, in omni ejus actione  
resplendet. Idem tanto magis Patrem Patriæ se proba-  
bit, qvò tenerior ejus propensio erga Subjectos ubiq;  
pellucet. Demum *Hominem se Caput plurium & Ho-*  
*minem Eminentem*, etiam non Subditis se ostendet, per  
Prudentiam & Amorem, tanquam beneficum qvoddam  
fidus omnia circumposita collustrans. Hinc & Prin-  
ceps aliquid *Sanctum & Inviolabile est*, qvia *Vicarius Dei*,  
qvia *Pater Patriæ*, qvia *Caput Reip*, & tam *Eminens in-*  
*ter Mortales Homo*. Qvæ uberioris declarabimus in  
subsequentibus Dissertationibus.

## TH. XI.

Sicut verò triplex illa Relatio Principis ad Sub-  
jectos, ut Vicarii Dei, Patris Patriæ, & Capitis Plu-  
rium ipsi Subordinatorum, Principem ut Centrum &  
Primum Mobile in Republ. in his terris fistit; ita vicis-  
sim Subjectorum omnium Recursus ad Principem in his i-  
psis Relationibus fundatur, quem hic tantum genera-  
liter delibabimus, in singulis deinde Relationibus  
uberius

uberiorius exponendum. Quidque inde *Subiectis Jus* na-  
scitur & *Obligatio ad Principem* tanquam *Dei Vicarium* &  
*presentem* quendam in terris Deum in omnibus cautis  
suis respiciendi: ab Eo Levamen, Tutebam, Justitiae  
administrationem sibi promittendi: in Eo ut *Parens Patrie* publico & *Summo Omnium & Singulorum Fiduciam* re-  
ponendi, (x) qualem Liberi in Parentibus collocant;  
Eum ut *Caput Reipublica & Eminentis Membrum*, sine quo  
toti Corpori & Compagni Civili sua salus & incolu-  
mitas constare non possit, intuendi, Illum sollicitè  
Tuendi, promte Eidem Obediendi, summissè Hono-  
randi &c. Haec & plures aliæ, immo omnes *Obligationes Sub-  
jectorum erga Principem in his Relationibus Principi Essen-  
tialibus fundantur*, sicut latius in singularum repræ-  
sentatione particulari patebit.

## TH. XII.

Ex hac universaliori consideratione Relationis  
num, quæ Principis muneri intimæ sunt, fluunt nunc  
porro *Generalia* quædam *Officia Principis quæ Principis*,  
quæ in omni particularium Officiorum Principalium  
administratione substerni possunt & debent. Ita e-  
nim pater, quomodo Princeps in ipso munere suo,  
quatenus Princeps est, *adspicere* debeat *SUPRA SE*, *de-  
spicere INFRA SE*, & *Respicere Ad SE ALIOSQUE SU-*  
*PRASE* *adspicioendo* invenit Majestaticam conditionem  
& Eminentiam suam, seq; quendam quasi Deum in  
terris positum locatumq; atq; insigni potestate in a-  
lios circumdatum advertit. Sed *Vicarium Dei* tamen,  
Entis Potentissimi quidem, sed simul Optimi, Justis-  
simi,

(x) Quod pertinet illa vox Populi Romani apud PLINIUM de  
Trajano: *Sic Te ament Dii, quemadmodum Tu Nos!*

simi, Sanctissimiq; , cuius proinde Personam si referre  
 velit, Virtutes qvoq; imitari necesse habet universas, qvan-  
 tum per Naturam humanam licet. Et qvia Vicarius  
 tantum est, hinc illi Deo Summo & Immortali, Principi  
 Principum & Regum Regi reddendam rationem omnis  
 administrationis suæ sciatur, & qvomodo Personam Mo-  
 ralem & Deo proximam divinæq; Majestatis Imag-  
 nem singulariter referentem gesserit. INFRA SE  
 despiciendo, dum ex natura Principatus se PATREM  
 PATRIÆ ET POPULI esse debere advertit, intimum  
 Nexus & communionem suam cum Republ. cuius Pater  
 est, indeq; cum subjectis singulis & universis deprehen-  
 dit. Unde Amor & Cura subjectorum, & qvædam pa-  
 terna in omnes Benevolentia. Respiciens demum ad  
 SE ATQUE ALIOS, attendensq; se in illa Relatione,  
 ut Hominem aliquem sed CAPUT PLURIUM, subditos  
 suos ut Membra secum tanquam cum Capite connexa  
 cum reliquis verò hominibus ipsisq; Subditis suis, tan-  
 quam meritis hominibus consideratis, ut Membrum-  
 Membro convenire, & ejusdem cum illis Originis & Na-  
 tura esse. Unde nova Amoris, Benevolentia, Humanita-  
 tis, Misericordie Officia seqvuntur. Licet interim ad Se  
 ut Caput Plurium inter homines, à cuius salute tot aliorum  
 hominum Salus pendeat, reflectere, suamq; salutem  
 tueri singulariter obligetur. (y) Qvod ipsum & alio  
 modo demonstrari potest: scil. Principem ut Vicarium  
 Dei sursum adspicere debere ad DEUM (1.) ut Dominum  
 suum Absolutum, qvatenus Vicarius est. Eundem in-  
 tueri, (2.) ut Exemplar suum, qvatenus Pater populi est. I-  
 psum

(y) Quo nomine Vita Davidis Vita 1000 ex subjectis æquipara-  
ta ab ipsis Israëlitis fuit, 1. Reg. XVIII, 3.

psum itidem venerari (3.) ut *Creatorem & Redemptorem*,  
*quatenus Homo*, licet Caput Plurium est. Porrò Princi-  
pem, tanquam *Patrem Patriæ infra se despicere debere*  
ad subditos (1.) Ut Dei *Creaturas Rationales sibi singulari-  
ter concreditas*, quatenus Dei Vicarius est. (2.)  
Ut *Liberos ejusdem Familiae*, quatenus Pater Patriæ est.  
(3.) Ut *Homines sibi similes & ejusdem secum Naturæ  
& Sangvinis, in quantum homo Caput plurium est.*  
Demum & Princeps, quatenus *Homo sed Caput Plurium  
est*, attendere debet ad Se tanquam (1.) *Caput Morale à  
DEO præpositum pluribus, cui ratio reddenda.* (2.)  
Ut *Caput Politicum cum subditis unam Familiam con-  
stituens* (3.) Ut *Membrum ejusdem Naturæ cum subjectis  
& omnibus aliis hominibus.*

## TH. XIII.

Qvia autem omnes hæ tres Relationes inter se  
junctæ & copulatæ Principem demum efficiunt. Hinc  
per se patet, Officia inde resultantia *inter se itidem jun-  
cta & copulata esse debere.* Quod *Officiorum temperamen-  
tum demum, verè Bonum, verè Magnum Principem efficit*,  
*qui instar salutiferi sideris in felicitatem suorum influ-  
at.* (z) Qyanqyam, quod mireris, singulare etiam in-  
dignum Veritatis harum Relationum suppeditat, quod  
singulæ hæ Relationes, licet ex diversis principiis  
oriundæ, (ut superius advertimus) ita inter se compli-  
catae sint, ut in natura sua conspirent, & ad eundem  
omnes effectum, *Salutem sc. subjectorum*, licet per diver-  
sas vias, ferantur. *Quisquis enim se verè Vicarium Dei  
cogitat.*

(z) Nam, ut Illustris VERULAMIUS in Sermon. Fidel. Serm. XIX.  
loquitur: *Principes corporibus celestibus sunt similes, qui felici-  
tia aut infelicia influxu suo producent.*

cogitat, & Patrem Patriæ & Caput Reip. se præstabit, quatenus DEUS Omnia Author & Parens atq; universale hominum & Majestaticum Caput est. Item, si quis Princeps Patrem Patriæ se exhibere studet, hoc ipso se Dei Vicarium & Reip. verum Caput ostendet. Similiter Princeps, qui Caput Reip. cum omnibus & singulis Reip. membris arctè connexum se approbare suis contendit; Dei Vicarium, qui Caput rationalis creaturæ Majestaticum est, & Patrem Patriæ, qui Familia tam magnæ Caput sit, cum singulis Familia membris arctissime connexum, se pariter demonstrabit, ut ita sint manentq; omnia perpetuò inter se nexa & conglutinata.

## TH. XIV.

Interim, quia singulæ hæ Relationes, si separatim illas spectes, alium aliumq; ordinem rerum respiciunt; dum ille Vicarius Divinus multum Majestatis & splendoris, indeq; Metus & Reverentia, Patris Patriæ favavis titulus plurimum tenerioris Amoris fundit. Ille verò Character Hominis qui Caput plurimum sit, plurimum Humanitatis à Principe reqvirit, & plurimum sollicitudinis pro Principe, tanquam membro tam necessario & illustri in Republica, subjectis inspirat. Hinc sit, ut illi splendores Relationum adeò diversarum, ne fibi mutuò impedimento sint, temperari à Principe & ad æquilibrium rationis reduci debeant. Qvalem Trajanum suum Plinius delineat, Cujus virtutes nullo vitiorum confinio lesa fuerint. Et in quo tanta concordia, tantus concentus omnium laudum omnisq; gloria fuerit, ut nihil severitati ejus bilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detractum sit, licet virtutes hæ, si accura-

accuratè attendas ex diversis Relationibus Principaliſ muneriſ ortum ſuum habeant. Contrarium TO-  
LOSANUS (aa) de Papis qvibusdam innuit, ſcil.  
Pium V. fuisse Bonum Prælatum, ſed Malum Principem. Six-  
tum V. vice versa Bonum Principem, ſed Malum Prælatum.  
Gregorium XIII. Bonum Principem & Prælatum, ſed non Bonum  
Hominem. Clementem autem VIII. Bonum hominem, Prince-  
pem & bonum Prælatum. Qvæ ſuo loco relinqimus.  
Et qvanq;am in Principe relatio relationi intimè in-  
neſtitur, ut Th. 13. ostendimus, & Virtus perfecta qvi-  
dem certè Virtuti, qvæ itidem perfectio in ſuo gene-  
re eſt, nunq;am repugnet, unde recte Moralitæ re-  
centiores illud Stoicorum affumſere: QVI UNAM HA-  
BET OMNES HABET VIRTUTES. (bb) Tamen,  
quia *Virtus omnis humana*, in Statu hoc Præternaturali per  
Lapſum introducto, qvem Gentiles ignorabant, im-  
perfecta eſt, & Affectus atq; Inclinationes Habituales  
cujusq; in hanc illamve partem, rem humanam vel  
maximè perturbant. Hinc neceffe eſt, in antecellum  
inſtruere Principem, ne in hanc illamve Relationem, que  
illius NATURALI & Habituali INCLINATIONI  
maximè reſpondeat, inclinet nimium, perſuafus, tres has  
Relationes ita inter ſe æterno ſeedere nexas copula-  
tasq; eſſe, ut qvi unam abrumpit & alteram violet,  
adeoq; temperari illas & miſceri poſſe & debere, opponi ſibi  
invicem ſine omnium detrimento non poſſe. Unde iſ  
deum Maximus Princeps eſt, in quo resplendet  
aliquid ritè miſum temperatumq; ex VICARIO DEI,

## D

## PATRE

(aa) De Republ. Libr. XXIII. Cap. 9.

(bb) Vide LIPSUM in Manud. ad Philof. Stoic. Lib. III. Diff. IV.  
& GEULINGIUM in Ethica ſua Tract. II. §. 2. & 4.

PATRE PATRIÆ ET HOMINE PLURIM CA-  
PITE.

TH. XV.

Ut verò illud præstari & in effectum deduci tantò felicitùs queat, Deus Principi, Christiano præser-tim, tria genera MONITORUM ex Hominibus aliis ad-junxit, quæ pro diversitate Relationum Principi Es-sentialium distribui commodissimè possè videntur. Primum Genus est eorum, qui Principem, quâ Vic-a-rium, Dei respiciunt. Atq; hi, ni fallor, apud Chri-stianos præsertim Principes, sunt NUNCII seu LEGA-TI DEI AD PRINCIPEM, sive, ut nunc vocamus, Concionatores Aulici. Sicut enim Concionatores, verè ta-les, & interna vocatione à Deo instructi, Legati Dei ad Homines in universum & speciatim cœtus suos esse de-babant, (cc) ita Concionatores Aulici, vi Officii sui, Nuncii & Legati Dei ad Principem sunt, qui Principem de his, quæ Deus à Principe fieri velit ex Revelatione & S. S. liberè moneant. Alterum genus Monitorum illorum est, qui ad Principem ut Patrem Patriæ referuntur: MI-NISTROS PRINCIPUM hic innuo, quos ipse ple-rumq; Princeps adscivit, atq; splendoris sui radios iis communicavit, ut Consiliis suis sanctissimisq; monelis Sibi adstant ubiq;, qvo tanto illustrius illud amplissi-mum Patris Patriæ munus explere in omnibus tam larè diffusis consiliis & actionibus suis possit. Suntq; quæsi Oculi, Aures & Manus Principis (dd) atq; Felicita-tis

(cc) Confer 2. Cor. V. 20. & quæ POLUS in Synopsi Criticorum ad h. l. ex variis Autoribus adducit.

(dd) Quæ de re ita illustris SAVEDRA in Symb. Polit. Symb. LV. Reges Persia ac Babylonie Ministros appellabant Oculos suos, uti Ministros alios Aures suas & Manus, pro ratione numeris

tis publicæ Instrumenta præcipua; itidem & si Animum respicias, pars sunt *Intellectus Principalis, & Voluntas* Principis ad Salutem Reip. usq; magis *inclinanda*, & prudenter consulta pari Prudentiâ exequendi Instrumenta primaria. Huc spectant qvoq; *Ordines Reip.* qui intermedium quasi personam inter Principem atque Subditos constituant. Et ratione *Principis* quidem Inferiores & Subditi sunt, ratione *Subiectorum* verò aliquid *eximum & singulare* habent; quatenus *universam Rempubl.* representant. Cujus, ut conditionem atq; indelem, tanquam *Membra præcipua*, norunt intimius atq; accuratius, ita de his monere Principem ingenuè ac liberè, summissè tamen (ut inferiores decet) illis omnino convenit. Qvod idem & de *Magistratibus inferioribus*, ratione *Civitatum* qvibus præfunt, & qvarum statum ac conditionem longo usu & experientiâ optimè nōsse censendi sunt, intelligendum est. Deniq; tertium genus Admonentium, qui *Principem* qvā *Hominem* sed *Caput Plurium* respiciunt, videntur esse: *Eruditi omnes*, tanquam *Eminenter Rationales*, præsertim, quatenus *Doctrina* illorum, ut Instrumentum Felicitatis publicæ in variis Vitæ Statibus attenditur. (ee) Namq; sacram hoc depositum ipsorum ut *omnibus hominibus*, qvos inter sciendo eminent, ita præcipue *Principi* (ut

D 2

*Plurium*


---

*quod obibant.* Et paulò pōst: *Idem significabant Aegyptii, per Oculum Sceptro impositum. Consilium quippe Oculus est futurum.*

(ee) Uladè recte Rheinhardus ad Praef. II. Lipsi. §. 19. *Sic comparare se decet Viros Doctos, quemadmodum Boni Patres familiæ solent, qui ita in fundis suis versantur, sic agros colunt & horos, ut familiaribus inde non tantum proficiant, serùm ut alia quoq; industria sua porrigit fructus, sicut ille: Seris arbores, qui alteri secuto presunt.*

*Plurium Capiti*, à cuius felici Directione tot aliorum salus penderet) consulendo & monendo sacratum esse debebat. Huc & Professores omnium Ordinum jure referre possis, qui ut ex conditione Officii sui Doctores & Consiliarii quodammodo Universales Humani Generis esse deberent: ita in rebus humanis maximam illorum curam circa ipsam Reip. Felicitatem propagandam versari oportere, manifestum est. Qvò illæ tam variae Principis, Reip. Modiq; illam in diversis Pacis & Belli negotiis optimè administrandi Delineationes eruditæ pertinent. Qva in parte tamen illud iterum iterumq; notwithstanding est. Hos non, ut primi & secundi generis Admonitores, buic aut illi Principi particulari adjunctos esse; (nisi si illud Princeps ab aliquo illorum singulatim exquirat) sed Principem & Bonum publicæ rei generali eos respicere, atq; qvæ ex usu Generis Humani in omni vitæ ordine sint ingenuè pandere: quod Philosophorum præsertim proprium est. Cùm Status sue Reip. specialis, & Ordo Consiliorum, ac Necesitas hujus vel illius Medii adhibendi iisdem non usq;, vel certè non in omnibus suis circumstantiis, pateat. Ex quo itidem liquere potest, Verbi divini in Aula Ministros, si in modum gubernandi Statum involant, aut Ministros Aule, si Religionem & Pietatem juxta regulas Statutū temperare præsumant, ut nuper in Gallia & passim alibi factum, vel Eruditos & Professores, si se intimioribus Statutū consiliis, non vocati, ingerant, ultra Officii sui naturam & conditionem procedere. Ex qvibus generalioribus principiis speciales casus determinari facili negotio possunt.

TH. XVI.

## TH. XVI.

Hoc ipsum verò, qvòd tres hæ Relationes Principi Essentiales mistæ temperatæq; inter se esse debere cognoscuntur, adeòq; in Principe aliquid ex Vicario Dei, Patre Patriæ, & Homine, qvi Plurium Caput se esse usq; meminerit, relucere oportere colligitur, per se fluit. Nec nimium, nec nimis parum ex qvalibet Relatione assumendum esse. Horum enim alterutrum si fieret, illud æquilibrium & justum temperamentum desiceret, in quo singula conjungi & copulari convenit. Imò, qvod notabile, hoc ipsum rō Nimirum in una alterave parte, illos non magis Vicarios Dei, Patres Patriæ &c. sed perversos, ac Statui Reip. minus convenientes efficit; ad eum modum, prout Supersticio non nimium colit Deum, sed perverse. (ff) Qvippe illud rō Nimirum in una parte, non tantum prægravat partem alteram, facitq; ut hīc Officio suo satisfacere nequeat. Sicut contrā, rō Nimirum Parum in una parte, ita enervat hujus partis Officium, ut ad Justam Mensuram assurgere in illo genere non valeat. Sed & ipsum hoc rō Nimirum in aliquo genere, (eo ipso qvod Nimirum est) ultra Modum & Conditionem Naturæ & Relationis suæ procedere colligitur. Arq; contingit ferè, EX QVADAM INCLINATIONE PRINCIPIS DOMINANTE, qvæ Mensem in unam alteramve partem quodam quasi pondere præternaturali magis inclinat. (gg) Cùm verè Bonus & Magnus Princeps non ex Affectione prægravante,

D3

impetu

(ff) Ut re&amp;ē judicat GROTIUS in Prolegom. §. 45.

(gg) Unde SAVEDRA in Symb. Pol. Symb VII. prudenter monet: à Principe res singulas ex vero dijudicandas esse, uti in se sunt, ne eas vel augeat affectus vel minuat.

impetu, sed *juxta Rationis & Officii sui Leges aeternas agere omnia deberet.*

## TH. XVII.

Ita Nimirum se Vicarios Dei, & quosdam quasi Deos Terrestres Absolutos, cogitant Principes, qui in Superbiā, Ambitionem, Crudelitatem, Contemnum Subjectorum effunduntur; quales Tiberium, Neronem, Caligulam vetus historia memorat. Ex quibus Caligulam ferunt, simulacra Numinum Religione & arte praelata, inter que Olympici Jovis apportari sibi ē Gracia curasse, quibus Capite dempto suum imponeret. Sueton. In Vita Caligula cap. 22. Eundemq; quoties uxor vel amicula collum exoscularetur, addere solitum. Tam bona cervix, simulac jussero, demetur. Id. cap. 33. Sicut verò insana illa Caligulae Superbia & inaudita Crudelitas facile cuivis ostendit, illum Vicarii divini limites excessisse; ita omnis Princeps, Superbus, Crudeles &c, Subjectorum suorum Contemptor, licet gradu forte minori, ultra limites Vicariatus divini suam Existimationem & Potestatem porrigit. Cum Deus ita illum Vicarium suum voluisse censendus sit, ut se Hominem, ejusdem cum Subjectis Naturæ, & Patriæ sue Patrem ac Rectorem, non Tyrannum esse simul meminisset, cui quod lubet liceat. Imo per Superbiā in jura Dei involat Princeps, & loco Vicarii pro Deo & Domino quodam absoluto se gerit; quod LÆSÆ MAJESTATIS DIVINÆ CRIMINI proximum gravissimè vindicatum à Numine passim legimus. (hh) Per Crudelitatem verò & Contemnum Subjectorum à Similitudine & man-

(hh) Quale quid in Nebucadnezare, Pharaone, Herode adverimus, imo & pii Principes, ut Dabid & Hiskias, Superbia reatum tamquam Majestatis dicta violationem, non iaultam tulere.

& mandatis Dei (in quæ intuendum ipsi esset perpetuò), abit, qui ipsam *Jusitiam suam misericordia temperat*, *Hominumq[ue]* (licet tanto intervallo à perfectissima Natura sua distantium) *Amator est.*

## TH. XVIII.

Sic & *Nimium Pater Patriæ* videri velle Princeps potest, si illud lene & benignum, quod Patris Persona Principi circumponit, in mollitatem quandam degeneret, & tenerior ille affectus: quâ Subjectos complecti Princeps, tanquam communem Familiam debet, etiam ad malos, indignos & Remp. perturbantes extendatur. (ii) Nam, ut *Nimia Parentum* in Liberos *Indulgentia*, excessus & *perversitas Amoris*, non Amor proportionatus & decens est, ita simile quid in Principe evenit. Ne quid dicam, & ceteras Relationes Principi *Essentiales* hoc pacto violari. Cùm Princeps ita se Patriæ Patrem esse cogitare usq; debeat, ne se *Vicarium Dei aut Caput Plurium* esse obliviscatur unquam,

## TH. XIX.

Deniq; & *Nimium Hominem* se exhibere Princeps potest, quando per illam *Meditationem* ad *Familia ritatem* quandam tam illustri personâ parùm decoram, aut *Demissionem animi* infra fortem suam, se abripi patitur. Ita enim se Hominem esse Princeps usq; attendere debet, ut simul maneat infixum menti, se

## Caput

(ii) Qualem CHARILIUM Lacedemoniorum Regem fuisse memorant, de quo Archidamidas: *Quonodo ferò probus sit Charillus, qui ne perfidis quidem est infestus: ut refert PLUTAR CHUS de Invidia & Odio.*

**Caput Plurium & Membrum** præ ceteris Illustre ac Directum aliorum esse. Qvippe aliâs evenit, ut dum se subditis per Familiaritatem nitiam planè æqvat, illam ad Directionem aliorum adeò necessariam Autoritatem, qvam Vicarii dñni & Patriæ Patris eminentes tituli præ se ferunt, omittat: unde summa quodag; & gravissima Reip. perturbatio. Et qvod notabile, ii ferè Principum, qvi se ultra humanum modum jactando efferunt, iidem in calamitaribus infra humanam conditionem abjecto se exhibent animo. (kk) Huc itidem referri debent NERONIS cythara, CALIGULÆ artes Gladiatoriae, & plurima alia Principi tanti Imperii Præfidi haud convenientia. De qvibus infra pleniū.

## TH. XX.

Sed & Nimis Parùm se Princeps Vicarium Dei, Patriæ Patrem & Hominem sed Aliorum Caput exhibere potest; quando nempe ad illum gradum in his Relationibus earundemq; mistura & temperamento haud assurgit, ad qvem assurgere jure debebat. Ita Nimis parùm se Vicarium Dei cogitat, qvi se Ministris suis regendum totum permittit. (ll) Ministri enim commoda Imperii Instrumenta sunt, at non Vicarii Dei, sed Principis

---

(kk) Qualem LUDOVICUM MORUM Mediolanensem Principem minorat in Casibus Pirorum Illustrium in Ejus Vita GRATIANUS. Scilicet hic, qui jactare erat solitus: se quando bellet Principes alios ludos facere, idem Nobaria capti à Gallis, tanto pabore, perculsus est, ut nec flets temperaverit, flatimq; in Domum Veneti Legati descendenter, eumq; ut ad Senatum scriberet, sed & Regnum suum Patribus commendaret, supplicibus & nequam Regi decoris berbis oraberit.

(ll) Cui, ut de CLAUDIO Imperatore refert TACITUS Annal. Lib. XII. c. 3. 4. Non judicium, non odium, nisi indita & iusta.

cipis demum Vicarii. Unde sicut Deus à Principe, ita à Ministris respici Princeps debet; qui ordo si invertitur, tota imperii compages gravissimum subit discrimen. Similiter *Nimis Parum* se Patrem Patriæ præstare Princeps potest, qui Severitatem Clementiâ, & Summum Jus Æqvitate haud temperat. (mm) Qvippe ille Patris Patriæ Respectus Imperii acerbitatem perpetuâ qvadam moderatione & relatione ad Subjectos, tanqâm Propriae Família Membra, temperare debet. Qvod ipsum & Vicariatûs divini conditio inculcat. Cūm Deus ipse, cujus Vicarius Princeps est, Justitiam suam Misericordiâ & Amore emollire soleat. Deniq; & *Nimis Parum* Hominem, Caput Plurium, se exhibit Princeps, si aliquid inhumanum Atrox & Sævum actionibus suis usq; misceat; ita divellens inter se ex natura & ordine Principatus conjuncta, scil. *Capitis Plurium* & *Hominis* ideam, qvin & ipsam *Capitis Ideam* parùm observans, cuius in membra cetera imperium svave & ad utilitatem universi corporis perpetuò directum est, quale quid & in *Capite Morali Societatis*, scil. in Principe, omnino locum habere debet Illa vero *Coniunctio Nature Humanae* cum *Capite Plurium* pariter admonere Principem, deberet, illos ipsos, qvorum Caput est, ejusdem secum *Natura* & *Originis*, adeoq; Naturâ sibi qvâm conjunctissimos esse. (nn) Cujusmodi Principem ab Humanitate & Pudore omni remotum, DOMITIANUM TACITUS delineat in *Vita Agricole*; cap.

(mm) Qualem nobis TIBERIUM TACITUS in Annalibus suis, & DOMITIANUM in *Vita Agricola* representat.

(nn) Fundamentum huius Obligationis pleniùs excussum in *Patologia Nostra Praet.* P. II. Cap. XII. ubi de Amore Aliorum ejusq; fundamentis naturalibus pluribus egimus,

43. qvi suppliciis suorum & innocentum plerumq;  
oculos palcere consvererit. (oo) Atq; hæc etiam  
de *Mistura & Gradibus harum Relationum* monuisse suffi-  
ciat, specialiora in singularum Relationum tracta-  
tione exhibere studebimus.

## Th. XXI.

Qvæ hactenus à nobis de *Tribus Statibus Prin-  
cipiis* & eorum varia conditione disceptata sunt, insi-  
gnem Usum etiam in *Educatione Principali* & in *Consiliis  
omnig;* tenore *Vita Principalis* habere posse, jam *suprà  
Th. VI.* innuimus; dum ob paucitatem & simplicita-  
tem Conceptum, tum Facilitatem illos retinendi &  
ad omne genus Officiorum Principalium Applicandi  
multum ex usu esse possunt. At objicer hic fortè ali-  
quis. Plana sint ista, speciosa, & si traduci in usum  
possent, non inutilia, fateor; sed facilius multò Ideæ  
ejusmodi delineantur, qvam in Vita & Actionibus  
exprimuntur, præsertim à Principe, tot peccandi il-  
lecebris circumsepto. RESP.

I.) Vulgatum illud. *Difficile est fateor, sed tendit ad  
ardua Virtus.* Habent enim hoc omnes *Actiones Bonæ  
& Perfectæ*, ut multis difficultatibus premantur.  
Præsertim in tam corrupto Statu & Hominis i-  
psius & Mundi, seu hominum cum quibus versa-  
musr. At illa ipsa difficultas inducere nos debet,  
non

(oo) De quo ita TACITUS cit. loc. *Nero tamen subtraxit oculos,*  
*jussitq; scelera, non spettabit.* Principia sub Domitiano misera-  
riarum pars erat, bidere & affici. Cum subfiria nostra sub-  
scriberentur, cum denotandis tot Hominum palloribus sufficeret,  
sabius ille catus & rubor, quo se contra pudorem muniebat.

non ut abjiciamus animum, sed ut tanto fortius  
oblutemur.

- 2.) Neq; tamen supra humanum modum est illa, qvam fistimus, Idea Principis, qvippe ex *Intimis Naturae Principalia Relationibus* depromta, qvo intuis-  
tu Princeps illud est, qvod est.
- 3.) Intelligenda quidem & Idea hæc usq; cum *Sensu Im-  
becillitatis humanae*. Interim Idea ipse & Delinea-  
tiones in suo genere *Summa esse* debent, ad qvas  
qvantò proprius quis accedit, tanto magis *Mensu-  
ram Officii sui* implet. (pp) Id qvod eò magis in  
Principe habet locum, qvòd eminentis ejus & Deo  
proxima conditio inter mortales, si recte admi-  
nistretur, plurium Salutem & Felicitatem, si pra-  
ve, plurium Damnum & infelicitatem post se  
trahit. Unde per se patet, vel *maxime in hoc ge-  
nere cunctendum ad Summa esse*.
- 4.) Supponitur *Influxus & Cooperatio Dei Principalis sui*,  
qui in Se intuentem & Officio suo omni conatu  
satisfacere nitentem Principem nunquam desti-  
tuet. Qvin & ordinariò per *Rationem*, & extra-  
ordinariò per *Gratiam specialem*, aderit Principi,  
modò ad se usq; reflectat, neque *Rationis pura* &  
*Repurgataræ dictamina*, tanquam *Vocem Dei Internam*,  
per *AFFECTUUM DOMINANTEM IMPER-  
TUM* obscuret, & *Gratia suæ ac Lucis divine fulsi-  
dium*, & *NOVAS quasi INSTRUCTIONES in-*

E 2

agendo


(pp) Confer LIPSIUM in Libris Politicorum, in Praef. II, & RHEIN-  
HARDI Commentarium ad eandem, in Theatr. Prud. Cis.  
Elegant. ex Lipsio.

agendo per Preces à Principali suo perpetuò exposcat. Unde & pii Principes Felicissimi, & Felicissimorum temporum Restauratores; sicut in Davide, Josaphato, Hiskia aliisq; ad oculum videmus. Ex quorum itidem Exemplo patere potest, non esse absolute impossibile, dari Principes SECUNDUM COR DEI. (qq) Qvod in N. T. in majori Gratiae mensura etiam magis habebre deberet locum.

## TH. XXII.

Illud deniq; adhuc verbo notandum est. Quædam Officia Principis ex diversis Relationibus parim commoditate deduci posse. Id qvod ex intima harum Relationum conspiratione inter se, de qua Th. XIII. monuimus, evenit. Nos verò illa uni harum Relationum, ex qua maximè naturaliter fluere videbantur, assignavimus, & assignabimus in subsequentibus Dissertationibus, nebis tervè eadem repeteret necesse; qvod semel hic in antecessum norâste sufficerit.

(qq) Qualem DAVIDEM sacra pagina delineat i. Sam. XIII. 14. & ASSAM. 2. Parap. XV. 17.



Frankfurt a. O., Diss., 7720-24

ULB Halle  
004 549 52X

3




f

56.





B.I.G.



I. N. D.

1720

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

DE

# TRIBUSSTATIBUS PRINCIPIS.

PRINCIPI, QUA PRINCIPI,  
ESSENTIALIBUS,

QUAM

*Favente divini Numinis Gratia,*  
IN UNIVERSITATE VIADRINA,  
PRÆSIDE

ARNOLDO *Besenfeld*

RAT. ET MORALIS PHILOS. PROF. PUBL. ORD.  
ET CIV. FRANCOF. CONSULE SENIORE

*FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO AETATEM COLENDO*  
d. XVI. Maji, Anno. M. DCC. XX.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM MAJORI  
Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittet,

JOHANNES FRIDERICUS  
PROZENIUS,

Francof. March.

FRANCOFORTI AD. VIADRUM.

Litteris TOBIAE SCHWARTZIL.

